TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

INSANIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

FRANCISCUS DUNCAN,

SCOTUS.

——Moody Madneſs laughing wild
Amid ſevereſt woe. GRAY.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Dr. Andrew Duncan

with most respectful Compliments

From the Author

ALEXANDRO BAILLIE

DE DOCHFOUR,

ARMIGERO,

S. P. D.

FRANCISCUS DUNCAN.

Hocce qualecunque Opuſculum tibi potiſſimum offerri volui, ut qua ſola poſſem grati animi profeſſione tuam erga me humanitatem teſtarer. A quo etenim id accepi, ut medicinae ſtudium obire poſſem, ad illum meorum ſtudiorum amicum et fautorem, hoc quicquid ſit operae redire debet. Tu autem, ut tantillam tuorum in me officiorum ſignificationem aequi bonique conſulas, precor.

Dabam Edinburgi,
8vo Kalendas Junii
1787.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

INSANIA.

OMNIS alienatio mentis inſania dicitur, qua nihil humanitatem crudelius adfligit: Nam ut mente frui optimum in homine eſt, ſic illam alienari longe miſerrimum. Et cum nemo ſit mortalium quem non tangere poſſit inſania, non alibi imbecillitatis acerbius admonemur. Optandum quidem eſſet, tantam calamitatem arceri poſſe. Hic vero piget multum in ignoratione verſari; non ſolum quod nos fallit origo morbi, ſed quod imprimis pauca explorata habemus, quae ad eum arcendum et diſcutiendum faciunt. Operae interim aliquid pretium facturi videbimur, ſi quicquid ex eventu comprobatum fuerit, vel ipſius rei ratio commoneat, quantulumcunque id demum ſit intueamur. Nec parum profecerimus, ſi inde mali acerbitatem ex qualibet vel minima parte levari contingat.

Sed cum latiſſime pateant ea quae de inſania dicenda occurrunt, de hac diſquiſitionem ineunti, tanta materia

ſubjici videtur, quantam ſermo academicus haudquaquam capere poſſet; et huic neceſſe eſt, arctius quoddam curriculum conſtituatur, ne in campo paene immenſo incerte fluctuet, vel latius evagetur. Imprimis igitur quam pauciſſimis exequar morbi multiplex ingenium, conjectura deinde interpoſita, de animi conditione unde pendeat, tranſibo ad cauſas evidentes quae iſtam efficiunt conditionem. Secundum quod auxiliorum communium rationes expendam, et breviter attingam morbi praeſagia. Poſtremo, ad propria quaedam deſcendam uſitatioribus ejus generibus accommodata.

I. MORBI MULTIPLEX INGENIUM.

Ut variam morbi indolem penitus intueamur, eam paulo latius aperiri oportet. Inſanire dicitur homo, qui motus haud aequos et opiniones pravas ex ipſis rebus recipit, vel qui falſa prorſus perceptione tenetur. Hic vero mens ingratis ferme adfectibus agitatur, raro detinetur jucundis; metus, ira, et triſtitia, per omnes ejus varietates maxime morbo familiaria ſunt; deprehenduntur interim qui cum aliis animi motibus inſaniunt. Sic adfectorum alii in uno tantum delirant, dum inter homines agunt, caeteroquin ſani et modeſti; alii de omnibus rebus perperam ſentiunt; innumeris paene morbi gradibus interpoſitis. Plurimis vero, ſi non omnibus, unum aliquod obverſatur quod quaſi fomes accendit

cendit delirium, et in quo maxime continetur; nec in iis ſolum qui eidem cogitationi aſſidue inhaerent, ſed etiam in his qui ex alio in aliud raptim et turbate, et cum ſumma animi feſtinatione, feruntur. Hos enim, quamvis mille cogitant, et perpetuo impulſu concitantur imaginum, ſi quis propius animadvertat, raro non in re una praecipue adfectos et exaſperatos perſpiciet; adeo ut nihil per omnia morbi genera magis conſtans et perpetuum reperias, ſive mens ex parte erret, ſive ex toto perturbetur, ſive cum furore inſaniat, ſive ſolicitudine: Quod, ni fallor, inſaniam quatenus animi adfectum ſatis diſcernit ab iſto morbo, qui in febre eſt et inflammatione cerebri; ubi, nulla cogitatione importuniore aegrum urgente, huc illuc levi momento fluctuat delirium.

In univerſum, remiſſiones habet morbus, ejuſque deceſſio hominem nonnunquam adeo ſui compotem dimittit, ut priſtinas agnoſcat conſuetudines, necnon ſuum infortunium acerbe ploret. Fereque, poſt graviorem delirii acceſſionem, ejuſmodi invadit torpor, ſub quo inſanum loqui et moveri piget, quaſi omni animi motu et cogitatione vacantem; cujus aliquid cum omnes quodammodo per intervalla experiuntur, tum maxime ii qui cum impetu inſaniunt. Hi a ſummo furoris incremento, in quandam recidunt ſtupiditatem, et rurſus eodem revolvuntur.

Omnes ferme inſani a falſis et fictis, concluſiones elicere, et multi ingenioſe valent ratiocinari; et haud raro ſub inſania ingenii vires plurimum intenduntur, dum homo mira facilitate, et cujus nullum ante exhibuerat

buerat indicium, carmina condit, vel aliquid perſequitur in diſciplinis mathematicis; inde forſan ratio adferri poteſt, quare leviſſimas ſaepe rerum captent connexiones, et alicujus objecti omnes celerrime percurrant congruentias. Fatui quidem nullam exercere valent ratiocinandi vim; ſed mens, quae in caeteris inſanis plus minuſve errat et perturbatur, in illis prorſus eſt deperdita, vix ulla priſtinarum dotum ſuperſtite; nam nec conſequentia adſequitur, et antecedentium caret memoria; nec, quod caeteris ſolenne eſt, ulla adſunt intervalla, in quibus homini redit ſanitas. Quidam inſani ipſis imaginibus falluntur, quas revera exiſtere et adeſſe credunt; et ex his ipſis alios ineptiarum cura fatigat, alios horrenda torquent; ſiquidem quoſdam accepimus ſe habere crura ſtraminea perſuaſos, quoſdam ſe videre ſpectra. Et, quamvis ea quibus fidem adhibent, digna videntur quae riſum moveant, non ideo minore moleſtia tolerantur a miſeris, qui in omnibus ad ſua deliramenta religioſe ſe gerunt. Ipſis vero falli imaginibus rariſſimum eſt morbi genus, ejuſque forma longe uſitatior, in mentis errore vel perturbatione continetur, de iis judicantis quibuſcum verſantur caeteri mortales. Porro inſanientium alii alios prae ſe ferunt mores. Quorundam taciturnitatem nullae artes pervincunt; nonnulli ſuis notionibus immorantur cum indefeſſa loquacitate; alii homines odio habent, alii eorum conſpectum timidi refugiunt; rurſus alii aſſidue plorant, alii immane rident; et reperiuntur qui facetiis et ſale adſtantes inſequuntur, ſibique pro delectamento fingunt ludibria.

ludibria. Multi inſuper, quamvis ipſi graviſſimis erroribus impliciti, ad artes capeſſendas callent, ſaepeque dolo ſe oblectant, adeo ut illos nihil aeque juvet, ac cuſtodem fefelliſſe, vel alicui verba dediſſe. Omnes inſani quoſdam contemnunt homines, et averſantur, quorum imago, neſcio quomodo, ſemper innexa ſit illorum delirio.

Multum intereſt inter eos qui in ſolicitudine deſipiunt, et eos qui cum graviore motu delirant. Illorum plerique manſuete ſe gerunt, et nihil niſi aliena loquuntur; neque praetereundum, homines ſaepe quaſdam ſpecies et opiniones falſas recipere, quamvis in omnibus vitae muniis ſervandis ſatis prudentes ſe praebeant. Morbus vero qui in aliquo motu violentiore conſiſtit, totum occupat hominem, et ſolus in animo dominatur, ejus operationes vel in tempus obruens, vel omnino ad ſe convertens. Hoc maxime fit, quotieſcunque cum iracundia homines inſaniunt, unde violenter agunt, et mens ſolito feſtinantius cietur. Adeoque immutantur ii qui nuper in omnibus vitae partibus modeſtos et timidos ſe praebuerant, ut feroces fiant, et in obvios quoſcunque cum effraenata audacia impetum faciant: Et, priſtinarum caritatum omnino immemores, in cognatos et amicos praecipue ſaeviant, dum fictam aliquam contumeliam ulciſcendi cauſa feruntur, vel falſas ſibi innexas injurias extimeſcunt; nam illud omnibus maniacis uſu venit, ut ſemper aliquid inſidiarum a ſuis in ſe ſtructum comminiſcantur. Et haec quidem iracundis fere perpetua ſunt.

Qui vero cum moeſtitia et metu inſaniunt, melancholici ſcilicet, animo ſunt conſtantiore, et in omni adfectu pertinace: Inde fit, ut quicquid ſtudii vel laboris faciendum ſuſceperint, in hoc unice haereant, omniumque aegerrime a propoſito deflectant.

Subit hoc in loco animadvertere iſtam obſtinationem qua nonnunquam animus defigitur, idque contra omnia, quibus ſani permoventur. Pauciſſimis abhinc annis, in Scotiae parte ſeptentrionem verſus, hujuſmodi exemplum memoratu dignum occurrit, et quod certiſſima fide accepi. Mulierem mente captam mira quaedam inceſſit cupiditas in ſepulchreto publico commorandi; ibique in cavea quadam ſub dio, quae pauculis ſtraminibus tantum inſternebatur, ſedem collocavit. Hoc in loco de die taciturna reſedit, nec ibidem pernoctare gravabatur; ex cibo quem praebebant vicini ad naturae neceſſitatem adſumpſit; ſed nunquam inde demigravit, et ſi quando vi abſtraheretur, quam citiſſime rediit. Sic complures vixit annos, et ſaeviſſimas coeli tempeſtates toleravit, nec veſtitus praeter panniculos quoſdam laceratos habuit quidquam. Quare ita facere conſtituiſſet, nemo interrogando elicere potuit; nam neque percunctanti reſpondit, nec quidquam alieni unquam locuta eſt.

Illud etiam ſaepiſſime videre licet, diverſa inſaniae genera in eodem reperiri homine, et alterum in alterius ſubire locum. Hic idem aeger alios ex aliis induit mores, et intra breve temporis ſpatium adfectibus contrariis agitatur. Et cum inter hujuſmodi converſiones

paene

paene innumerabiles frequentiſſimum ſit, ut qui modo melancholicus fuerit, ſpatio interpoſito evadat furibundus, ſcire omnino oportet furoris appropinquantis indicia, quando nempe ſit tempeſtivum ut aliquis cohibeatur, vel majore diligentia obſervetur. Si vero difficilior ſolito aut aſperior fiat, ſi rubore genae ſuffundi occipiant, adſitque oculorum crebrior motus, ſi aliqua parte doleat caput, et ſermo ſolito expeditior evadat; ſi denique leviſſimas quaſcunque captet iraſcendi occaſiones, dentibuſque frendeat, accedente delirio, jamjam praeſagiunt medici, incitato gradu adventare rabiem; et tunc admonent, inſanum arctiori cuſtodia coercendum.

Dum perſtat inſania, et graviore vi dominatur, longe diverſa in corpore fiunt, ac in homine ſano evenire ſolent: Et quod maxime in omnibus inſanis animadvertere oportet, eſt ſentiendi quaedam pigritia, quae ſtimulis adhibitis aegrius obſequitur: Haec in ſummo furoris et triſtitiae incremento inſignior eſt.

Porro melancholicis fere eſt perpetuum, ut corpus in omnibus ſuis functionibus tardius et hebetius evadat, et ad curſum fluidorum languidiorem accedat inſignis ſolidorum rigiditas. Illa etiam hujus adfectus ſunt communia, ventriculum cruditate infeſtari, concoctionem fieri impeditiorem, inteſtinos flatu multum vexari, rariuſque ſolito alvum deſcendere.

In furore maniaco, ingens robur iis accedit muſculis qui artus flectunt extenduntque. Et hic quoque raro reddit alvus, caeteraeque excretiones parcius veniunt,

ac

ac ſecunda valetudine aſſuerunt. Adeſt interea vigilia nocte et die continuata, et ad majorem animi vehementiam accedit ſtrictior vaſorum actio. Vix aliis morbis aegrotant, et contagionis, ultra quam cuique credibile, patientes ſunt. Inediam facile ſuſtinent, et, poſtquam per plures dies ſe omnino a cibo abſtinuerint, ſequitur cupiditas omnia ſine diſcrimine devorandi. Maniacum vidi proprium ingurgitare ſanguinem, dum e brachio mitteretur. Adeo non obſequuntur medicamentorum viribus, ut cui ſano plenam vomitionem facili negotio moviſſent ipecacuannae grana viginti, illum mente captum totidem tartari emetici granis reſtitiſſe cognoverim. Vim frigoris mirum in modum perferunt; cujus exemplum nuper accepi, in virgine quadam, florente aetate, habituque corporis tenui et irritabili. Illam dementia correptam amici ad inſanorum valetudinarium deferendam curarunt. Ibi in cella humida, quae ſtramine tantum et pauculis ſtragulis inſtructa eſt, ſumma hyeme continebatur: Nec inſanae nocuit frigus, quam, mente ſuperſtite, tuſſis, raucitas, aliaque ex frigore ſaepe male habuerant.

Idem morbus interdum ſalutaris eſt; nam inde graves et diuturnae nonnunquam abiguntur valetudines. Malum hydropem profligavit: Et ipſi pulmonum tabi ſuperveniens virgini macie confectae vigorem reſtituit, ingraveſcenti nihilominus ſuccubiturae malo, quum primum ſeceſſiſſet mania. Levia quidem haec et rarius incidunt; ſummus vero et diuturnus furor nunquam

ſine

ſine gravi noxa toleratur. Interdum mentem omnemque paene vim humanitatis extinguit.

Cum inter varietates paene innumerabiles inſignior morbi indoles, vel in triſtitia vel in iracundia contineatur, et cum haec, quaedam notabiliora ſecum adferant, res poſcere videbatur, ut eorum adjuncta varia fuſius exponerem. Sed haec hactenus de morbi hiſtoria.

DE ANIMI CONDITIONE IN QUA MORBUS CONTINETUR.

Quae ad variam inſaniae indolem declarandam pertinere videbantur, eorum praecipua et maxime obſervatu digna ſupra ſatis fuſe expoſuiſſe videor. Quibus propoſitis, proximum eſt, ut quorundam quos edi videmus effectuum rationes quodammodo expendantur.

In veſanis, dum ex ipſis rebus perperam commoventur, vel falſa aliqua occupantur ſpecie, animadvertere licet, iniquam ſentiendi et cogitandi vim, quae illos a communi hominum conſuetudine abripit, et quemque proprio exercet delirio. Inde impetus ex cauſis non aequis concipiunt, falſa rerum exiſtimatione tenentur, ipſis denique falluntur imaginibus. Quicquid vero erroris et perturbationis in ulla mentis functione intercedit, id omne ex eodem fonte repetendum duco. Sentiendi nimirum et cogitandi vis in modum abnormem

intendi incitarique nequit, quin totam mentem conturbatam reddat, eique quaſi caliginem offundat. Illud quotidianum videre licet, hominem ſub impetu aliquo ardentiore, multa perperam cogitare, nonnulla obliviſci, rationem denique ipſam minus morari, quorum nihil ageret ſobrius. Omnem ideo commotionem vehementiorem quandam eſſe inſaniam, nemo neſcit; cum in ſeipſo continet eorum praecipua quorum concurſu morbus efficitur. Sic iſta vehementia quae inſanientem in ſuum trahit delirium, priſtinas obruit conſuetudines, et e conſpectu ſubmovet ipſam rerum evidentiam; qualem inſanientem Ajacem et Oreſtem ex poetarum fabulis accepimus. Quidam cum abſentibus et mortuis ſibi videntur frui colloquio; ſe Deos, heroas, et feras fieri putant; miras audire voces, et videre quae nuſquam exiſtunt.

Dumque imagines in ſic adfecti animum feſtinantius confluunt, aliae aliis facile aggregantur, quarum convenientia vel leviſſima ſit vel parum perſpecta, et ſaepe ex cognatione tam tenui et recondita pendet hicce nexus, ut imaginum ortus ſpeciem praebeat rerum male inter ſe congruentium vel omnino repugnantium. Et ſic imaginum et motuum vehementia mentem conturbari puto. Iſta vero, ſi aliquando ſe remiſerit, uti ex quibuſdam adhibitis, et ſponte etiam per intervalla fieri ſolet, ſtatim ad ſe redeunt homines, reſque uti conſuerunt agnoſcunt, donec iterum recruduerit morbi admonitio; hoc facere ſolent ea quae inſanum altius penetrant, uti ex ſequenti hiſtoria patebit. Quidam bono genere na-

tus

tus ex infortuniis quibuſcum ſua domus fuerat conflictata, in triſtitiam incidit, quam aliquanto poſt excepit furor; atque adeo animo efferatus evaſit, ut eum in vinculis teneri oporteret. Inter haec amicus, cui quondam ſanus cariſſima conſuetudine devinctus fuerat, e longinquo rediens, cubiculum ubi continebatur ingreſſus eſt. Hujus adſpectu perculſus, ſtatim e furibundo factus eſt tranquillus, et mentis ſui compotis indicia haud dubia exhibuit. Percunctantique amico, quemadmodum ſe haberet, numque illum agnoſceret, nihil quidem reſpondit. Sed manus attollens, vincula quibus erant conſtrictae oſtendit. Dein oculis humi defixis, obortae ſunt lacrymae. Et ita aliquantiſper conſopitus eſt furor; ſed qui cito rediit. Nam hora una alterave loqui aliena incepit homo, et omnia itidem recrudeſcebant. Eandem porro morbi vehementiam aliquando tollit frigus et ſubitus medicamenti effectus. Inſanus e cuſtodibus clam aufugiens, perfrigida Siberiae loca peragravit, et, quamvis male veſtitus, omnem vim algoris perpeſſus eſt, qui ſub illo aſpero et immiti coelo obtinet, et qui adeo ſit intolerandus, ut nulli animanti extra tecta durare liceat. Poſtquam iter octodecim millia paſſuum confecerat, domum cujuſdam familiaris advenit, ubi pro ſano egit et locutus eſt. Sed, quumprimum e cubiculo ubi erat incaluiſſet, malum quod, admoto frigore, brevi evanuerat, factum eſt recidivum.

Maniacus aſſae foetidae quantitatem devoravit, quam medicus partitis vicibus ſumendam praeſcripſerat. Illico vomitionibus et dejectionibus tam violenter correptus

tus eſt, ut exinanitioni paene ſuccubuerit. Sed poſtero die, hominem ex toto ſui compotem invenit medicus. Aliam licet ſubjungere hiſtoriam, quae eodem facit. Fabro lignario Antverpienſi, ex horrendis imaginibus quae ſecundum quietem ei perpetuo obverſabantur, tantus injectus eſt terror, ut in furorem ageretur. Qua de cauſa, cum vinctus in alium locum deveheretur, ſolutis vinculis, e curru quo continebatur, in ſtagnum profundum exſiliit, paeneque interiit. Aqua extractus, pro mortuo habebatur. Revixit tamen et poſtea ſanae mentis fuit.

Impetum morbi etiam in tempus diſcutit, ſi qua res animum excitarit improviſior graviorque; qualis eſt horror ſubito ingruens, caeteraque hujuſmodi quae nec opinantem defigunt hominem. Huc forſan referre poſſumus, cum ex ſubita in frigidam immerſione breve lenimen capit rabies canina; quem nimirum adfectum comitari ſolet aquae horror intolerandus. Huccine pertinet, amici conſpectum, nonnunquam diſcutere febris delirium?

Dum inſanus in rem aliquam vehementer intenditur, ſuper qua ſe commotum et ſolicitum habet, inde captat cogitationum nexus, quales alios effugiunt, et motus inde recipit, quos alii neutiquam experiuntur. Sic adfecti falſa aliqua opinione facile implicantur. Quinetiam, certo ſcimus, eos nonnunquam ad abſurda quae ſibi fingunt, quadam ratiocinandi ſerie, pervenire. Vir, qui a nullo mortalium ſe tangi patiebatur, ne in rabiem caninam incideret, ingenioſe ratiocinatus eſt de variis

modis

modis quibus ex alio in alium gliſceret contagio. Cujus ſimile quiddam, ni fallor, multis inſanis uſu venit, quamvis motuum et cogitationum nexus, qui illos ad ſua deliramenta deduxerit, ſubtiliore filo nititur, quam ut clare inveſtigetur. Interim, ſatis novimus, homines in eo magis inſanire, quod in his male ſe habeat ſentiendi vis, quam quod ratione careant. Nam juxta ac ſani, quae ſibi veriſimilia videntur, et ex antecedentibus conſequentia adſequuntur, etſi in illis ſubtilior cogitationum nexus cum alienis animi adfectibus comitetur. Horum autem vi et concurſu conflatur opinio. Integra eſt mens, in qua ſentiendi vis cum ſuae conditionis neceſſitudinibus concordat, ſcilicet, quae rerum et vitae cognationes juſto ſenſu amplectitur. Non enim eſt mente ſana frui, res ipſas earumque congruentias percipere; ſed ex his ipſis motus idoneos et adfectus recipere. Propterea quod illud novimus etiam inſanis contingere: Hoc niſi in mente integra eſſe non poſſe. Inſaniam vero, niſi quae ex adfectu aliquo, motu, impetuve inordinato extiterit, nullam in homine unquam accepimus.

Neque ratio longe petenda videtur, quare ſic adfecti acutiſſimo ſaepe polleant ingenio; nimirum cum rerum neceſſitudines remotiſſimas et maxime reconditas eruere valeant.

Hanc argumenti partem calcanti, id mihi imponi quibuſdam videbitur, ut aliquid de cerebri conditione proponatur, unde pendeat inſania: Hanc enim in peculiari cerebri ſtatu procul dubio contineri; indeque altius infixam inſidere. Neque reticendum, totam cerebri

ſubſtantiam,

ſubſtantiam, in iis qui ex inſania mortui fuerant, ſpeciem praeter naturam prae ſe tuliſſe. Haec autem quicquid in ſe habeant momenti ad rem altius repetendam, omnem iſtiuſmodi quaeſtionem, ut a propoſito alienam, libenter defugio; quippe qui inſaniam, quatenus animi adfectum conſiderandam, ſuſceperim, eaque manifeſtiora advertenda quae ſecum adfert iſte adfectus. Neque de ejus natura diſquiſitionem ſubtiliorem ingredi ſuſtinui.

DE IIS QUÆ MORBUM INDUCERE CONSUERUNT.

Cauſas remotas, quotquot ſcilicet in mentem agunt, omnes eo pertinere puto, ut hominem diu et pertinaciter in eadem re habeant defixum, vel ſubito et vehementer concitent. Ex illa parte morbus ſenſim enaſcitur, ex hac plerumque ſubito invehitur. Sed alias aliter morbum utrobique ingruere animadvertimus. Artifex eximius, dum Cacodaemonum gregem quos e coelo nequitia praecipitaverat, depingebat, eorum principis imaginem tanta vi expreſſit, ut ipſe auctor, eam intuens, nequiret quin inde perhorreſceret. Et ſic poſtea vivida vis ejus picturae ei ſemper ante oculos obverſabatur, et ſaevus ille daemon adſtare viſus eſt, graviter increpans hominem, quod ſe tam horrendo

vultu

vultu depinxiſſet. De muliere me legiſſe memini, quae cum latrones de nocte cubiculi feneſtram effringere conarentur, in tantum terrorem conjiciebatur, ut ab hoc poſtea nullo modo poſſet liberari. Semper, ex illo tempore, inſidiarum aliquid metuebat, et cum nox appeteret, incepit palleſcere, circumſpectans ſolicitaque omnia. Ita demum in animi valetudinem incidit pertinaciſſimam.

Ex hujuſmodi occaſionibus ſaepe repetenda eſt mali origo. Interdum vero modus quo primum inceperit, et poſtea increverit, omnem effugit perſcrutationem. Scilicet, non hic facile adducuntur homines ut ſuas moleſtias ſtatim fateantur; et ineptias, quarum forſan ipſos initio pudet, quamdiu fieri poteſt celant. Vir apprime doctus et intelligens, qui diu Evangelii miniſterio pie et diligenter functus fuerat, in eam incidit opinionem, ſuam animam rationalem, propter peccata quae in ſe admiſerat, volente Numine, penitus intercidiſſe; nihilque eſſe reliqui praeter animam irrationalem ſibi cum brutis communem. Et ita ſe a Deo derelictum, inter homines eo ipſo ſupereſſe, ut grave emineret documentum paenae impiis irrogatae. Hic vir, qui nullam ingenii dotem deſiderare, nedum anima rationali vacare videbatur, per plures annos ſuo deliramento fuerat vexatus, priuſquam quid rei eum ſolicitum haberet cognoſci poſſet, et multum abeſt ut modos quibus ſibi finxiſſet ſpeciem adeo ſingularem perſcrutari poſſimus. Æque plerumque inutile eſt quaerere de aliis delirii ineptiis, quarum cauſas et origines raro retegere poſſimus.

Caeterum

Caeterum hic dico illas imaginationes, quas ſibi fingunt inſani, et quae adeo fiunt abſurdae, ut nihil poſſit ſupra. Nonnulli ideo delirant, quod ſua oſſa cerea, aut caput vitreum eſſe credunt. Quendam novi qui conqueſtus eſt, ſuos digitos inſtar ſaccorum ingentium intumuiſſe; et memini me quondam vidiſſe mulierem, quae doluit, nonnulla ſui corporis membra ſejuncta eſſe, et ſeorſum aliud alibi latitaſſe. Hujuſmodi plura exempla memoriae prodiderunt ſcriptores medici, quam quae ſingula huic loco recenſere conveniat. Satis habeo ſi quae protuli, quodammodo oſtendant, nihil tam abſurdum excogitari poſſe, ut non aliquando ſuppeditarit inſaniendi materiem. Omnem vero iſtiuſmodi delirationem meticuloſorum plerumque eſſe hominum facile crediderim; eorum nimirum qui ad ſolicitudines varias ſunt proclives, et de leviſſimis quibuſdam pluſquam religioſi. Dixerunt quidam, in eos tantum cadere, qui animo ſunt imbecillo; ſed quam aliter res nonnunquam ſe habeat, vel ſupra memorata hiſtoria convincere poteſt.

Apud rudes et barbaros, rara eſt inſania, utpote qui cauſis hanc invehentibus minus laceſſantur. In quos immigraverint luxuriae artes et avaritia, in eos maxime graſſatur. Hoc praeſertim fit in civitate libera, quae unumquemque in proclivitatem propriam trahendo, mali ſeminia, ſi qua inſederint, elicit. Apud ejuſmodi autem populum, cauſae morbum creantes maxime perpetuae ſunt religio, amor, et adfectus, et motus varii, qui ex divitiarum et honorum contentione naſcuntur.

Non

Non alia res majore vi animum occupat, quam religionis vana et falſa ſpecies. Non alibi tam ingentia captat, nec tam horrendis agitatur. Neque aliunde quam hinc triſtiores morbi formae humano generi incubuere. Inde naſcitur inſania quae interdum in furore, ſaepius in metu cum triſtitia continetur, et cujus varietates neutiquam hoc in loco memorare aggrediar. Hiſtorias tantum breviter perſtringam duorum hominum quos ipſe novi. Etſi in utroque morbi ingenium in metu poſitum eſt, longe tamen diverſas formas prae ſe ferebat. Alteri homini religio fuit, ne in alienos a vera fide offenderet, vel quidquam attrectaret ab illis contaminatum. Illum ſaepiſſime vidi devia peragrantem, impiorum veſtigia evitandi cauſa, et multas adhibentem artes, ut contactum eorum prorſus declinaret. Dextras jungendi nunquam copiam fecit, et ſi quis inſciens conatus ſit, reſiliit, quaſi repentino terrore ictus: Nullo modo adducendus erat ut nuda manu oſtium aperiret, vel nummos acciperet, unde nimirum impietatis läbem potiſſimum videretur ſuſcepturus. Caeteroquin tamen et ſobrius fuit, et ſolertiſſimis vir, qui artem qua ſe exercuit probe novit. Alter terroribus religioſis longe diverſis vexabatur, et multo plus ex morbo valetudo cepit incommodi: Alio tempore veritus eſt, ne falſa poſtéris cecinerint ſacrarum literarum vates, et ne parum firmo fundamento niteretur evangelium: Alias extimuit ne orbem terrarum nequitiae permiſerit Deus, et ne ſic funditus periret animarum ſalus; et dum hujuſmodi ſuſpicionibus torquebatur, ne has quidem

proferre potuit ſine pavore. Et ita illi ſuccrevit animi aegritudo quam nulla ſuſtulit adhortatio, neque emolliit temporis longinquitas. Rara fuerunt requietis intervalla, alia religio in alterius locum ſubiit, et hominem, quamdiu vixit, male ſanum habuit.

Amor latius adhuc humanum genus fatigat variis animi aegritudinibus; et a nulla alia cauſa, ſi medicis credimus, ſaepius inſanierunt homines. Huic noxae quamvis patet ſexus uterque, praecipue tamen ſexus ſequior. Eſt iſtud nimirum in foeminarum animis naturale et tenerum quod rebus adverſis facillime quatitur: Quicquid vero tenerrimi et imbecillimi inſit illarum naturae, id maxime amori, patet, et cum de ipſa pudicitia agatur, acerbius tangunt fraus et injuria. Hic facere non poſſum, quin unum hujuſmodi exemplum ſubjungam, quod ſuperiore anno in noſocomio regio Edinburgenſi occurrebat. Innupta quaedam puella in connubii ſpem fraude illecta, ſcelerati hominis fidei pudicitiam concredidit. Hunc paulo poſt, ut ex pacto nuptiae ritu ſolemni fierent, Edinburgum ſecuta eſt. Ubi illo advenit, eum cui ſanctiſſime deſponſa fuerat, jampridem conjugi junctam deprehendit. Ira, moeror, deſperatio illico eam inceſſere: Prolapſaque inter adſtantes, animo aliquantiſper linquebatur. Quum primum e deliquio venit, indicia haud dubia dementiae prodidit. Ex quo, pervicacia quaedam non ſuperanda, illam et animo et corpore immobilem tenebat. Poſt diem unum alterumve ad noſocomium regium delata eſt. Ejus vero obſtinationem nullae artes pervicere.

Nullam

Nullam emiſit vocem, cibum reſpuit, adloquentes averſabatur. Medicus qui tunc adfuit, eam agitare conatus eſt remediis validioribus, ſi forte animum a ſtatu praeſente dimoveret, et diſcuteret quicquid jam ſubeſſet incipientis ſtuporis. Sed fruſtra fuerunt omnia, et intra paucos dies mortua eſt foemina.

Aliam remotam morbi cauſam cum multis ſtatui, honorem et divitiarum contentionem; et certis conſtat exemplis, homines proclivius inſanire ex ſpe et laetitia immodicis, quam ex ipſo calamitatis adventu et mali expectatione. In illo anno inauſpicato et memorabili, cum mercaturae in mari auſtrali faciendae tot ſeſe implicarent, et quiſque divitias ſe aſſequi poſſe conſideret, multi mortales evaſerunt inſani, et longe plures eorum mentem amiſerunt, quos ad laetitiam immodicam evexerat rerum ſuarum ſecundarum expectatio, quam quos ad extremum ſpes fefellit.

Omnia quae animum diu intentum et laceſſitum habent, quamvis ipſa non inducunt morbum, huic autem praeſtant opportunitatem. Hoc vel inde apparet, quod ſaepe nonnihil veſaniae in eos cadit qui ſtudio ſeveriore agitant literarum diſciplinam. Auctor quibus vixit temporibus ſatus notus, poſt commentarium ſumma cura de Apocalypſi ſcriptum, et controverſias de rebus divinis cum quibuſdam agitatas, in eam incidit opinionem, tormina quibus tunc addictari coepit ex ſeptem oriri equitibus, qui in ſuis inteſtinis incluſi acerrime inter ſe dimicabant.——Temperamentum melancholicum homines reddit opportunos iſti veſaniae quae ſponte

obrepit;

obrepit; haec minus cadit in ſanguineos. Illic pigrior nervorum vis in agendum tardius impellitur. Conſtantiore habitudine mens; in eaque pronior quae illam habent ſolicitam; aliquem uniuſmodi adfectum diu retinet, eandemque cogitationem cum ſumma pertinacia perſequitur. Omnia contraria in habitu ſanguineo, mobilior nervorum vis laxiori corporis compagini inſidet. Hic rara ſolicitudo, rarior metus; quae ſpei plena ſunt intuetur homo.

DE AUXILIORUM MORBI RATIONE.

Supra propoſui inſaniam oriri ex intentione mentis abnormi, et, hac ſoluta, illam remitti. Sequitur, ut nunc oſtendam quemadmodum ad hanc intentionem ſolvendam tota morbi curatio converti et aptari ſoleat. Intentio autem mentis duplici ratione diſcuti poteſt; ſubmovendo ſcilicet evidentiora in quibus continetur; dein hominem varie agitando. Illud eo pertinet, ut quicquid delirium ſuſtinet et exaſperat, id omne ſubmoveatur. Hoc, ut morbus mutetur, abrupta conſuetudine. Sic malo maxime ſuccurri ſolitum, neque medicos unquam alia ratione opem inſanis tuliſſe memini. Iſta tota adminiſtratio et corpus et animum amplectitur, et quaſdam horum mutationes invehendo omnino verſatur. Cum illud habent animi et nervorum adfectus,

tus, ut ex conſuetudine altius inſideant, indeque certam et conſtitutam ſpeciem induant, nihil illis magis adverſari poteſt, quam ut illorum tenor ordinatus ex occaſione diſturbetur. Hoc ſibi agendum proponunt ii qui mutationem in aegrorum conditione moliuntur, hos quoquo modo aliunde turbando. Et qui inſaniae originem habent obſcuriorem, quam ut curantis ſcopum dirigendo ſufficiat, ita arbitrari ſolent, adfectum qui conſuetudine inveteraſcit, deſuetudine illata, abigi oportere. Quae cum ita ſint, hunc morbum cum eventu feliciſſimo videtur aggreſſurus ille medicus, qui varia ejus auxilia ſemper intuetur, ut nullam ſponte dimittat occaſionem hominis conditionem immutandi vimque conſuetudinis labefactandi.

Dixi evidentiora, in quibus morbus continetur, tolli oportere. Ad quod efficiendum refert, corpus ex eo ſtatu dimoveri qui auget delirium; hominemque ſubtrahi ab eorum conſpectu et notitia qui idem intendunt extrahuntque. Quantum ad corpus adminiſtrandum attinet, illud imprimis ſcire oportet, nulli certae corporis conditioni propriam eſſe veſaniam, omniſque habitus homines ea adflictari; alio interim habitu longe aliam requirente curationem. Nec uſquam morbi facile memineris cujus adminiſtratio diverſis temporibus magis inter ſe diſſidentia poſcat; adeo ut qui ejus curationem saepiſſime a remediis evacuantibus feliciter auſpicatus ſit, ſi idem in aliis ex aliis tentabit peſſime omnino fecerit medicus. Interim ſemper animadvertere oportet, quinam ſit corporis ſtatus, in quo inſania laboratur,

ratur, cum quaedam in corpore ſubeſſe poſſint, quae animi adfectus quos comitantur et augent et ſuſtinent. Et in hoc morbo notarunt medici, vitae vim nunc ultra modum intendi, nunc hebeſcere, nunc infirmari: Eam ferme in omnibus ſtimulo adhibito aegrius movente. Quorum cum aliquid adeſſe deprehenderis, mutatio protinus in contrarium molienda eſt; et huic curationi novimus exitum proſperum non defuiſſe. Sic, viribus tenuatis, conquieſcit maniaci furor. Ex corpore jam facto valido, animo imbecilliori redit ſanitas. Et ſi movendi et ſentiendi facultates quae variis functionibus inſerviunt rite expediantur, eo facilius arbitror poſſe depelli morbum melancholicum. Sed haec perpetuo facienda, nequaquam reperies; et ſummum ſaepe furorem in habitu admodum debili extitiſſe; neque corpus vehementer tenuari et exerceri omnibus melancholicis aeque eſt inutile; quippe qui a morbo nonnunquam liberati ſunt acri labore, aut alvi fluxu largo et diuturno. In quorum utrumlibet nonnullis furioſis praecipiendo, neſcio an nimium religioſi eſſe poſſimus.

Quamvis in uſu et accommodatione medicamentorum nulla praecepta poſſunt eſſe perpetua, optime tamen inſanis conſulere videntur, qui eos varie excitandos curant; vel iis remediis quae ſenſim agunt; vel iis quae ſubito et vehementer convellunt. Poteſt enim ſemper mutationis aliquid fieri in corpore, quod in eodem ſtatu reſtare alienum eſt: Quin et illa eſt ejuſdem medicinae commendatio. Inde nempe a nervis excutitur iſta ſentiendi pigritia quae adeo veſaniam comitari ſolet;

ſolet; et quae ipſa in cauſa eſſe poteſt ut animo inſideat valetudo diuturnior. Huic enim in eandem rem incumbenti opportuniſſima eſt ſegnis ſentiendi vis. Nervis vero fortiter excitatis, et ſimul cietur mens, et a praeſente intentione aliorſum convertitur. Quibus et illud addi debet; ſcilicet, inter medicamenti operationem vel ſtatim poſt eam peractam homines nonnunquam pauliſper reſipiſcere. Quoſdam porro animadvertimus medicos, potentiore remedio audacter adhibito, aegrum ſubito a veſania explicuiſſe. Non illud habeo neceſſe quaerere, quemadmodum agant iſta medicamenta. Id jure me poſſe adfirmare exiſtimo, hominem haud raro liberari ab inſania opera illorum quae in corpore ſubitam efficiunt mutationem. In hoc referantur velim camphorae, opii, moſchi, et aliorum id genus effectus, cum quantitate inſolita et exitu felici adhibentur. Opium forſan ideo prodeſt, quod ſomnum conciliat, ſub quo plerique ſaneſcere incipiunt. Ubi vero dandum opium, liberaliter dediſſe expedit, alioquin id tantum conſequemur, ut quem obdormire volumus, eum moleſtia fatigemus.

In loco ubi primum morbus occupavit, habitare alienum eſt. Nam cum rerum curriculo, quibuſcum quotidie verſatur inſanus, delirium mille contrahit neceſſitudines, illud perpetuo exaſperaturas. Haec fugere oportet, et, quantum fieri poſſit, omnia cavere quae iram, odium, aliaque ingrata homini movent; porro, ſi qua re capi conſuevit, inde maxime arceſſenda eſt delectatio: Neque perinde eſt inſanum ira odiove commoveri, ac

ſi

ſi horrore metuve perſtringatur. Propterea quod ex hoc ſaepe remittit morbus; ex illo nunquam non ingraveſcit.

Id ſemper agendum eſt, ut moveatur mens ex eo ſtatu quo detinetur, ſi forte diſrumpi et ſolvi poſſint inveterati cogitationum nexus, in quibus maximam partem morbus continetur. Hominem vero aſſidue ſuo immorari delirio eſt hoc intendere et extrahere. Quo magis utile eſt eum ſemper aliquid attendere, peragere, aut ediſcere, niſi ſi quando ex indomita licentia rabiei ſit omnino neceſſe ut coercitione ſola oneretur. Sed quoties per morbi violentiam fieri poteſt, aliquo opere implicandus homo eſt, unde in tempus acquieſcat angor mentis, circumciſa cogitationum intentione.

Cum eadem auxilia neutiquam omnibus conveniant, neque hercule convenire queant in morbo tam multiplici, medicum qui ſe inſaniae ſuccurſurum profitetur, intueri oportet varia ejus remedia prout unicuique reſponderint, et excubare in omnem occaſionem corpus et animum agitandi. Hoc eo magis neceſſarium eſt, quod varia ſunt in lenimen aegrorum auxilia et alias aliter morbo ſubvenitur. Nonnulli in mari immergendo; nonnulli aſſiduo labore fatigando tenuandoque; nonnulli graviora adhuc imperando, inſanos ad mentis integritatem perduxerunt. Et ubicunque fieri poteſt, mutationes perquam violentas moliri in nervorum corporis ſtatu vim morbi nunquam non labefactat, ſaepe radicitus excutit. Tali medicinae ferendae commodiſſimum faciunt locum corpora validiora, quae ſola crebro

bro et violenter agitare, et licet et convenit. Quod ſi vehemens morbus in habitu valido et ſanguineo urget, protinus inter initia ad auxilia vehementiora decurrendum eſt. Hominem vero melancholicum, etſi ſatis valentem, periculum eſt, ne validioribus vexatum remediis ipſe excipiat furor vel crudeliter abſumat nervorum diſtenſio. Sunt qui peregrinatione, ſunt qui coercitione, ſunt qui tormentis morbum curant. Sed plenus humanitatis et miſericordiae medicus in veſanos aliquid crudelius conſulere gravaretur. Etſi tractatio, quae hominem a ſumma vindicat miſeria, illane crudelis apparere debet? Nec defuerunt medici qui, poſt omnia fruſtra tentata, ut nulla ope probabili miſer deſtitueretur, anceps periclitati ſunt auxilii genus; hominem ſcilicet eo uſque ſub aqua habendo, donec vita ipſa paene extingueretur, ut praeceps fieret immutatio in nervorum cerebrique ſtatu. Quinimo et ipſa temeritas aliquando profuit. Parum nonnunquam invenies diſcriminis ſubeſſe inter ea quae morbum tollunt, et hominem jugulant. Sic medicamentum quod per alvi dejectionem aliquem paene ad interitum exhauſerat, plus ſemel mentem reſtituit. Et quod praeceps alvi profuſio efficit, idem fecere aliae exinanitiones. Hac autem ratione magis caſu quam conſilio aegri adjuti ſunt; temerariam enim medendi viam, cum pauci ingredi ſuſtineant, pauciores adhuc diſcernunt quando certe vel ſuccurſura, vel nocitura ſit. Quo magis circumſpecti eſt medici oſtendere, quam nihil hujuſmodi periclitari oporteat.

Alii inſani cum commodo ſuſtinent, quae aliis vix ſine pernicie toleranda ſunt. Sic cita alvus, quae huic delirium minuit, idem illi intendit; et quod hunc adjuvat, illum infeſtat frigus. Nunc ſtrepitus, nunc quies proficit ad mentem componendam. Alium continuiſſe, alium ſefelliſſe prodeſt. Nonnulli recte objiciuntur labori et potentiorum remediorum vi, quibus alii minime tuto ſe committunt. Plerumque, ſi ſatis virium eſt, potentiora; ſi parum, imbecilla auxilia anteponenda. Illic inſanum omni modo concuſſiſſe prodeſt. Hic intra ea quae leniter excitant, ſiſtendum eſt.

Exequenti eorum praecipua quae experientia in ipſa curatione docuerit, mihi quodammodo verendum eſt, ne a rationali medicina videar alienus. Sed quam ſupervacua ſit omnis iſtiuſmodi ſolicitudo, idonea rei animadverſio oſtendet. Varia enim inſaniae praeſidia eodem pertinere puto; ſcilicet, ut aegri conditionem immutando juvent, morbumque abrumpant deſuetudine. Qui autem alio ex alio medicamento inſanos perpetuo urgent, omnique jactationum genere torquent, quid aliud niſi expertum volunt, num ſubita in hominis conditione converſio, vim morbi ſit labefactura, qui, rebus ibidem loci reſtantibus, altius indies inſidere pergit? Omnia vero noſſe, quibus aliquod adjuvandi conſilium exequatur, hoccine alienum a philoſophia? Hoccine empiricum audiat?

Alios morbos ſupervenientes, praeſertim qui ſummam corporis partem maculis et tumoribus adficiunt, opem inſanis tuliſſe compertum eſt. Neque ſemel accidit, poſt

poſt omnia fruſtra tentata, ut lite aliqua, vel graviore negotio impliciti, vel fortunae aut vitae ipſius ſupervenîente diſcrimine, ex morbo omnino convaluerint homines. Quod ſi rem ita expedias, ut in talia veluti caſu offendant, optime feceris; caveas autem, ne ſe dolo tentari animadvertant. Nam cum ſaepe ſibimetipſis plus ſapere videantur, quam reliqui mortales, pro inſanis haberi indignantur: Et cum acutiſſimo polleant ingenio et expeditiore ſolito imaginandi vi, aliquid occulti extemplo ſuſpicantur.

Nonnullis mens per temporis aliquantum illuxit, graviore aliquo caſu commota: Quod ex amici conſpectu inſperato nonnunquam incidere ſupra retuli. Subito terreri et expaveſcere etiam adjuvit. Hoc ſuſtinent iracundi, alii vix debent admittere. Et in his potius fugiendum eſt anceps auxilii genus, quod raro cum incolumitate, ſaepe cum hominis pernicie, tentaveris. Poteſt quaedam fieri mutatio dum animus vehementer perturbatur; neqùaquam verò committendum eſt, ut quem a veſania revocare volumus, eum in graviora praecipitemus. Animus incaute commotus longinquiori morbo excipitur. Non ignoro, adfectus adverſos opponendo contrariis, inſaniae poſſe ſuccurri propoſitum. Hoc in ore multorum eſt, et praeceptio ab antiquiſſimis uſque temporibus nobis tradita. Sed uſu rerum et ipſis edocti experimentis ea videmur debere praetermittere, quae hallucinata ſit antiquitas, vel parum uſu comprobata habuerit. Et illud idem praeceptum laudatiſſimum non niſi ſenſu admodum caſtigato

adhibendum

adhibendum puto. Ubicunque enim ex leviſſimi momenti rebus in agitationes vehementes conjicitur mens, eam nec opinantem ex adverſo percellere, et temerarium, et periculi plenum fuerit conſilium, et quod quibuſdam noxae fuiſſe certo accepi. Hanc igitur viam calcanti lenitate opus erit, dum animum a praeſente ſtatu in adfectum contrarium ſtudeas pertrahere.

Non omnes inſani eodem modo compellandi ſunt. Sermo unicuique accommodari debet, qui ſimul redarguat, quicquid inſit illorum moribus intempeſtivi, nec ipſi morbo ſit alienus. Adverſus illos quos eadem tenet cogitatio major reverentia adhibenda eſt, quam hos quorum animi ex alio in aliud celeri vagantur motu. Aliorum riſus importunior reprimendus eſt; aliorum nimia loquacitas; ipſo metu propoſito, ne quid iracundia peccetur. Convenit etiam ut in iracundos ſemper aſperiorem te praebeas, dummodo a plagis temperatum fuerit quas adhiberi vetat humanitas. Ut quorundam triſtes diſcutiantur cogitationes, et falſi aliorum leventur metus, omni blando et probabili ſermone opus erit. Hic nihil efficitur vi; intra artes et adhortationem agendum eſt. Hujuſmodi aegros quantumvis abſurda et inepta torqueant, illorum querimonias neque pro nihilo haberi neque irrideri fas eſt. Potius erit miſericordiae ſpeciem ſimulatam erga illos aliquantiſper adhiberi, et artes interim experiri, ſi forte capta aliqua fallendi occaſione, mens a falſis et fictis deducatur. Qua via inſiſtentes medici, inſanientibus ſaepe verba dedere. Omitto dicere, qualia cuique caſui ſint ac-

commodanda,

commodanda, cum ſponte patefiant tale conſilium molienti.

Et haec quidem ſic in quibuſdam ſervanda ſunt. Superſunt alia magis adhuc perpetua, ad quae ſemper oportet reſpicere. Magni imprimis intereſſe puto, medicum ſemper apud inſanos proprio jure quam plurimum valere, vel aſſentiendo, vel reprimendo: Dummodo illos nunquam contradicendo fatiget, vel in leviſſima re ſolicitos teneat: Quod quidem illis moveret delirium aſperius et difficilius. Primae ſanitatis ſpeciei, fallaciſſimae rei, non tuto credimus. Neque enim, ſi interdum prudenter et miſerabiliter loquantur, ſtatim id menti redeunti tribui licet, quoniam ejuſmodi eſt illorum captus, ut artes adhibere valeant, dum ſanitatis fidem facere conantur. Ad haec commonent ii qui in hujuſmodi aegrorum tractatione verſantur, nunquam nimis feſtinato praeſagio rem eſſe deſperandam, ſi inter initia parum profecerit medicina. Addunt et illud; morbum ſcilicet ad ſpeciem ſucciſum, adhuc recidivum timeri poſſe, et tempus extrahi debere aliquod agendo quod ad futuri mali fomitem extinguendum faciat.

Hoc loco non praetereunda videntur, ſi qua adverſus malum olim inclyta fuerunt auxilia. In literis ſacris David, nervorum cantu malum Sauli genium placaſſe fertur. Primo Graeci ſuos inſanos Anticyram relegarunt ad morbum helleboro expurgandum: Quo etiam remedio filias Praeti curavit Melampus, cum in eam agerentur rabiem, ut ſe vaccas putarent, et "agros "falſis mugitibus implerent." Alium rationem ſecuti

videntur

videntur Aſſyrii, quorum ipſe Rex a mente et regno deturbatus, inter pecora egit, victum ex herbis quaeritans. Cum inauditum quondam inſaniae genus virgines Mileſias adegit, ut vim ſibi inferrent, et cum tantae calamitati nullum remedium reperiri poſſe videretur; tandem lege ſancita, ut ſic mortuarum cadavera in conſpectu omnium per forum deferrentur, dedecoris metus, licet poſt mortem ſubeundi, effecit quod efficere nequirent parentum lacrymae, reliquaſque deterruit, quo minus mortem ſibi conſciſcerent.

Haec forſan omnia ſubtilius perſécutus ſum; ſed ita omnino faciendùm erat, quod vellem appareret, quibus nonnunquàm modis ex inſania ad integritatem veniatur. Quibus propoſitis, an hoc tandem ſtatuendum eſt, juvantium rationem in eo poſitam, quod morbum mutent, evidentiora in quibus continetur mutando? Quid, quod a praeſente ſtatu dimoveatur corpus, et multis modis percellantur nervi? Quod iis perpetuo rebus objiciatur mens, quae ejus intentionem vel ſenſim ſolvant vel ſubito abrumpant? Quod a curriculo quotidiano diſtrahatur homo, ibique verſetur, ubi longe diverſa a conſuetis agitantur? Haec omnia quo tandem pertinere arbitraris, niſi ut iſtam in aegri ſtatu efficiant mutationem, quam efficiendam ſupra propoſui?

DE

DE MORBI EXITU.

Jamprimum omnium, medicum qui aliquid in futurum praeſagire velit, quaerere oportet, morbus, utrumne recens ſit, an diu invaluerit; num per intervalla redierit: Utrumne ex evidente profluxerit cauſa, an ſponte ſubrepſerit; qualis ſit corporis habitus. Hic, ut in aliis morbis, omnium notitia, quae vel anteceſſerunt vel comitantur, multum in ſe habet momenti ad quae eventura ſunt praeſagienda.

Imprimis ſcire licet, ut majori quis ſit robore, itá magis patere remediis. Quibus juventae fervor, vires integrae vigenteſque, hi cum violentiore inſania conflictentur neceſſe eſt; ſed quae adhibita curatione citius plerumque diſcutiatur. Ætate autem provectiores, habituque corporis debili et tenuato, minus convenit vehementioribus concuſſiſſe medicamentis, quorùm effectu ad ſanitatem veniri ſolet. Multum intereſſe reperies inter recens et vetuſtum malum: Illud remediis praeſentiſſimis ſaepe ſtatim obſequitur: Hoc difficilius ſolvendum; et quo diutius invaluit, eo magis in anguſto ſpes eſt. A temperamento ſanguineo inſania prorſus depelli poteſt; quo magis in habitu melancholico eſt, eo minus integrum dimittit animum, et hic major metus recidivi mali.

Ut

Ut evidentes cauſae fortius et diutius hominem occuparunt, ſic magis efficiunt morbum pertinacem. Ita ex religione naſcitur inſania et pertinax et diuturna, et remediis efficaciſſimis minime obſequens: Et ex amore haud levior forſan ingruit peſtis. Impotentiores autem animi motus morbum faciunt ingenii fugacioris, qualem ex ira et laetitia ortum accepimus. Haec autem non nimis anguſta interpretatione excipi vellem; etſi in plurimis rem ita ſe habuiſſe, compertum eſt, fieri tamen poteſt, et ſaepe fit, ut longe diverſae morbi facies ex iiſdem cauſis oriantur, et alios aliter ſortiantur exitus. Notabile eſt, terrorem ex improviſo invadentem, difficillimum adferre morbum. Quibus mulieribus ex menſibus ſuppreſſis ſupervenerit inſania, iis diu et graviter cum ea confligendum eſt. Per intervalla urgere et quieſcere mali morbi eſt; et longinquum eſſe ſolet delirium, quod ſtatim e ſomno recrudeſcit; ſcilicet, quod nihil inde capit leniminis unde maxime miteſcit morbus. Obviam ire inſanientium iracundiae quam laetitiae malles. Levior tamen eſt cum riſu morbus, quam eorum qui ſerio inſaniunt. Facilius curantur quos agitat ineptiarum cura, quam qui ex gravioris momenti cauſa ſint animo demiſſo: Cum illo énim qui ſibi fingit ſua crura eſſe vitrea, promptius et exploratius erit negotium, quam cum iſto homine qui de animae ſalute torquetur. Etſi in univerſum de furibundo quam de melancholico ſpem meliorem habebis, ab utroque tamen morbi genere haud mediocre periculum impendet. Summos enim furores et diuturnam moeſtitiam, praeſertim

ſertim ſi perperam curantur, metus eſt, ne ipſa excipiat complorata et deſperata fatuitas, ſub qua miſerum ſpiritum trahit homo, amiſſa rerum memoria. Porro, ſi quem diu et violenter tenuit morbus melancholicus, reliquum eſt, ut ille ex variis nervorum adfectibus laboret. Poſt longam inediam et vigiliam, virium defectio, ſtupor, et ſomnolentia, et diſtenſio nervorum, ad ultima jam ventum eſſe teſtantur.

Qui valetudine animi haereditaria implicantur, iis nullum auxilium medicina promittit. Id ſibi dari negotium exiſtimare debent ii, qui reipublicae adminiſtrandae praeficiuntur, ut legibus proſpiciant ne latius graſſetur malum. Quod ſi connubio illis interdiceretur, qui liberis naſcendi bona impertire nequeunt; ne id imperaſſe humanitatem pigeat. Qui enim caras animi dotes nunquam ſunt habituri, nonne ſatius fuiſſet, eos non omnino in lucem extitiſſe, quam ſub inſania ſpiritum ducere?

In univerſum, cum hic morbus per totam aetatem tenet, juſto maturius vitam abrumpit. Raro tamen plus vice ſimplici ipſe furoris impetus hominem abſumpſit. Sub iſta quidem amentia quae non vehementer agitat, ſaepe ad extremam ſenectutem venitur; ſed quos diu exercuere genera morbi violentiora, ii matura morte ut plurimum conficiuntur.

In omni veſania, hominis ſalutem ſuſpectam habere debemus, dum leviſſima ſupereſt morbi admonitio; hujus enim quae remanent reliquiae, ex facili exaſperantur; nec niſi penitus ſucciſis, ulla de mente ſecura ſpes

eſt. Et cum in tuto aliquis eſſe videtur, non ſtatim conquieſcere debet medicus, ſed adhuc per aliquod temporis ſpatium, hominem praecipiat agitandum, omnibus iis modis, qui ad morbum diſcutiendum maxime conferre videbantur.

DE MANIACORUM ADMINISTRATIONE.

Maniacos, ne ſibi aliiſve noceant, neceſſe erit coerceri; et ſi quando furor gravior et intractabilior fiat, coercitio efficax et idonea ſaepe omni alia adminiſtratione potior eſt. Nec ignoro quoſdam coercendo ad ſalutem perductos eſſe, qui alia curatione omnino caruerint. Nonnullos reprimunt minae, metus, et ſermo aſperior, et intra haec, ubi valent, agere ſatis eſt. Sed cum in his parum fuerit auxilii, ad efficaciora decurrere expediet. Memoria ſemper tenendum, inſanientes minus efficaciter cohibere, eſt illorum impetum movere et exaſperare morbum: Non ideo res ejuſmodi eſt, ut ad vim hominum ſpectare exiſtimes; unde ſatis ſuperque norunt medici omnia pejora fieri ſolere. Quod ſatis illorum violentiam compeſcit, cum maxime ſint indomiti, eſt veſtimentum quoddam vulgo notum, quo nihil quaeras commodius, quoties fuerit neceſſarium ad coercendum venire; ſiquidem nihil excogitari poſſit quod illo-

rum

rum impetum magis frangat, vel quod magis reformident: Adeo ut quos ſemel continuerit tale veſtimentum, eos poſtea ejuſdem conſpectus horrore perſtringat. Sic cohibitos in lecto detineri oportet, donec furor deferveſcere incipiat, utpote quibus non tuta eſſet poteſtas in cubiculo ubi ſunt inambulandi. Plagas adhibere ſupervacaneum eſt. Has nunquam profuiſſe adfirmare nolo. Sed quod in crudelitatem et perniciem converti poſſit, non tuto cuſtodis arbitrio permittitur.

Ad haec, melior erit coercitio, in loco ubi quam pauciſſima homines inquietent, viſum et auditum ſolicitando. Vel in lumine vel in tenebris habendos praecipias, prout hic vel ille modus ad quietem mentis maxime conferre videatur: Deprehenduntur enim et quibus haec et quibus illa ratio prodeſt. Porro, ad illorum ſalutem refert, ſi longe a domo ablegentur, vel ſaltem omnia e conſpectu tollantur, quae tueri nequeunt alieniſſimis motibus illaceſſiti. Commodius adminiſtrantur ab ignotis: Cum iis quos oderunt verſari nolles: Et nullum videre amicum vel familiarem ſalutare eſt. In hoc autem ſervando non nimis ſevera exigi debent. Etſi dum vi morbi importuniore urgentur, eos inviſendi amicis dare poteſtatem alienum eſſet, tamen remiſſiones habet morbus, in quibus id tuto concedatur; et prudentis et humani eſt medici ſtatuere, quando pietatis officia erga miſeros admitti conveniat.

Nec id mediocriter a medico caveri oportet, ut, (quaecunque a cuſtode expreſſerit neceſſitas), in nulla re vel

ipſe

ipſe laedat vel fruſtretur inſanos. Quicquid enim oculti in illos ſtruitur, ſuſpicione celeri adripiunt, et dolis circumveniri gravantur, et injurias permoleſte ferunt, praeſertim cum ab iis ortae fuerint, quos diligunt et quos intelligere arbitrantur, morbum quo laborant, cujus et ipſi ſenſu nonnunquam tanguntur. Nec nihili eſſe exiſtimo, cujus adſpectum revereri adſuerunt, ab ejus voluntate plurimum in illos indulgentiae provenire.

Quibus ſervatis, multum proprio jure apud inſanos valebit medicus, qui libentius ei dicto erunt audientes, quaecunque in illorum auxilium praeceperit, et ſic iſtam neceſſariam conciliabit auctoritatem quam nonnulli ita interpretantur, quaſi hominem ſeveriore diſciplina coerceri, id demum eſſet habere auctoritatem: Haec, ut ſit fructuoſa, benignitate concilianda eſt, qua nihil medico debet eſſe antiquius. Sed haec hactenus de iis quae in aegris hiſce adminiſtrandis requiruntur, quae niſi perquam utilia eſſe exiſtimarem, ſingulatim perſequi ſuperſediſſem. Proximum eſt, ut ad medicamenta progrediar.

Satis conſtat inter medicos, maniae curationem initium ſumere debere ab egeſtione, et hanc (ubi convenit) rite inſtitutam, et ſatis diu continuatam, morbum vel prorſus diſcutere, vel aliis medicamentis reddere opportuniorem. Sed largas et diuturnas moliri exinanitiones non omni corporis conditioni convenit: Et praeterquam quod vis vitalis a praecipite humorum profuſione incommodum ſaepe capit minime reparandum; inde etiam timeri poteſt, ne in ipſa imbecillitate deſi-

piat

piat homo. Quorum ut neutrum eveniat imprimis moderandum. In temperamento melancholico, vehementer exinaniri inutilius et periculoſius eſt. Si aeger habitu corporis ſit tenuiori et parciori ſanguine, adhuc cautius agere oportebit. Quod ſi temere curatus fuerit, vel ex praegreſſo morbo debilitatus, ab iis quae vim vitalem infirmant religioſe temperandum eſt. Ubicunque vero habitus ſanguineus ad vires valentiores et corpus robuſtius accedit, ibi nullum ſubeſſe video cunctandi locum, quin protinus ab omni egeſtionum genere curatio potiſſimum ordiatur.

Dixit vir *, cui ſumma jure debetur fides, feliciſſimam quidem maniae curationem per egeſtionem effici, et propter pituitam qua ferme oneratur ventriculus, omni alii medicinae vomitionem anteponendam; et quoſdam memoriae prodidit ſic a pertinaci malo liberatos: Et ubi ventriculo pituita ſubeſt, crebrior debet eſſe vomitus. Sed huic ſoli neutiquam res concredenda eſt. Ut morbi violentia infringatur, largam humoris effuſionem a capite raſo detrahi, et ſanguinis miſſionem iterari expediet, praeſertim ſi ſubſint notae quae cerebrum a nimia fluidorum copia impetuque laborare oſtendant. Sanguinem vero inter initia miſiſſe maxime ſalutare eſt: Et in furoris acceſſione, plenus interdum accedit ſomnus, appoſito ad caput emplaſtro veſicatorio: Quo nihil ad mentem componendam magis conferre poteſt; pervigilium enim delirium exaſperat extrahitque.

* Dr Monro, Bethlem Hoſpital.

extrahitque. Et haec quidem quam maturrime feciſſe melius erit. Sed quod commodiſſimum duco per omnem morbi decurſum, eſt alvi purgatio: Et quicquid praeſtare poſſit exinanitio, id forſan illa praeſtat cum ſumma incolumitate; nam totum relaxat corpus, et ad cerebri intentionem tollendam multum confert, et eam felix inſuper eventus ſaepe commendavit. Dejectionem autem moliri medicamentis valentiſſimis, ſic ut horum vi per plures dies alvus fluere pergat, utiliſſimum eſſe experimentis credo. Interdum conveniat, leniore medicina ventrem ſolvi.

Dum haec componuntur, victu perquam tenui ſuſtinendus homo eſt, et quumprimum ſe inclinare coeperit morbus, ad opiata veniendum, quae tunc id praeſtent negotii, quod ante ab illis ſaepe fruſtra petiveris, ſcilicet, ut illorum uſu aeger quiete fruatur. Non ignoro, interdum profuiſſe in ſummo delirio maniaco. Sed haud minima ſagacitate opus erit medico, qui tali ratione morbum aggreditur: Si enim in opiatis nihil ſit opis ad ſomnum conciliandum, nullum morbo adferunt lenimen, et ne inde gravior fiat, timendum eſt. Ægrorum allevationi melius conſuluiſſe videntur qui per purgantia et opiata alternis vicibus adhibita morbum curarunt: Somnum autem venire, niſi prius fracta violentia ſymptomatum, raro intellexi.

Et haec quidem maniae ſunt auxilia praeſentiſſima; de iis quae per occaſionem profuere alio jam loco dictum eſt. Inter illa praecipuum eſt frigus, cui ne nimium credas multa vetant; nam inſani ſaepe diuturnae

et

et violentae vi frigoris objiciuntur, nec inde reſipiſcunt: Et ſi aliquando morbum levet frigus, hic plerumque recrudeſcit, illo ceſſante. Non ideo inutile eſt, in loco frigidiore haberi inſanum, hujuſque caput ſubinde perfundi frigida, vel luto humido aut glacie in morem pilei operiri.

In omni mania quo magis ad delirii phrenetici indolem accedit, eo largius et feſtinantius fieri debet exinanitio. Hunc adfectum quem phreneſin nominaverunt Graeci, et advenientem et creſcentem plurimis indiciis intelliges: Et huc animum adverti expediet, ut maniae forma longe periculoſiſſima internoſcatur. Hoc adfectu inſtante, caput dolet et rubet facies, dum motu pleniore et lentiore ſpiritus redditur, et quae ſanguinem ad caput vehunt arteriae fortius et feſtinantius micare pergunt. Sonum et lucem cum ſumma impatientia refugit aegrotus, adſpectu jam truculentior, et in iram praeceps; jamque in praecipiti res eſt, ni quam maturrime laboranti adſit medicus.

DE DELIRIO IMBECILLORUM CURANDO.

Maniae praecipue contrarium eſt id inſaniae genus, in quo mens labat ex imbecillitate. In hoc recidunt homines ex graviore corporis valetudine. In idem ſaepe tranſeunt maniaci. Longe alia via nobis inſiſtendum

dum eſt, dum novum hunc hoſtem aggredimur. Nam hic neque ciere alvum, neque ſanguinem mittere fas eſt: Adeo enim ſic adfecti non ferunt egeſtionem, ut jamdudum memoriae prodiderit Sydenhamus, ſe vidiſſe, ubi, alvum ducendi cauſa, cum lotio ex lacte et ſaccharo injiceretur, delirium quod ante ſopitum fuerat denuo ingraveſcebat. Et ubi ne leviſſima quidem exinanitio facile tolerabilis eſt, corpus refeciſſe primum et potiſſimum videtur, ut mentis imbecillitati ſuccurratur. Quapropter, iis medicamentis quae vim roborandi poſſident, et idonea ſimul ciborum refectione rem adminiſtrari oportebit. Quantum ad medicamenta attinet quae corpus confirmant, in id multa perhibentur efficacia; qualia ſunt cortex Peruvianus, et ex ferro parata: Hanc porro facultatem habent quae cardiaca et analeptica nominaverunt medici. Hujuſmodi omnium remediorum, quorum adminiſtratio longius temporis ſpatium recipit, illud proprium eſt, multo melius reſpondere, ſi per aliquot dies ſubinde omiſſis, ad illorum uſum denuo redeamus. Quod in hoc ipſo adfectu Sydenhamum commonuiſſe, idque in plurimis proſpere feciſſe video.

Cum homines propter vires deminutas haud minima refectione indigeant, victum illis concedendum puto, qualis quam maxime alat, dummodo facilis ſit ad concoquendum. Et hic egregium conferet auxilium modicus et tempeſtivus vini uſus. Tales aegri ſaepe immodicis ſudoribus digeruntur; idcirco in eorum uſu quae irritant, vel calorem nimium accendunt, ſibi omnino

nino temperare debent, et ab iis quae alvum movent, vel facile intus corrumpuntur ſumma cautione abſtinere. Hujuſmodi imbecillis opium cum effectu optimo adhiberi poteſt, et omnino neceſſarium eſt, cum urgent pertinaces vigiliae. Nec unquam inde vel minimum incommodum ortum intellexi, ſed contra, eo adhibito, caeteram curationem facilius procedere.

Quumprimum ſe melius habere coeperunt, geſtatione pro viribus cujuſque utendum eſt, et paulatim ad valentiora exercitationum genera veniri convenit. Inter haec imprimis profuit, multum eſſe in equitatione et ſubinde experiri balneum: Simulque peregrinando, et ruſticando animum leniter excitare, et a cura cogitationum ad res veras convertere. Et hac praecipue ratione, menti quae ex imbecillitate labat ſuccurri ſolitum eſt. Illa vero plerumque conſtat, ſimul ac ſatis virium corpori rediit.

DE MELANCHOLICIS.

Reliquum eſt, ut melancholicorum curationem exequar. Hic nihil efficitur vi, multum adhortatione, pauca medicamentis: Et intra vitae et victus praeſcriptionem juſtam agentibus, haud parum contingit boni. In aliis inſaniae generibus conveniret hominem validioribus urgere remediis, perque omnia fatigare, quorum nihil facile ſuſtinent melancholici. Hic plerumque

inutile eſt ſanguinem miſiſſe, vel crebriori purgatione alvum ſolicitaſſe; alienum in frigore habuiſſe, alienum cum fame, ſiti, et vigilia pugnaſſe. Leniorem medicinam res amat; propterea quod ex iis quae agitant et fatigant, increſcit triſtitia, ingruit mania. Et imprimis omnia vitanda ſunt quae ſolida durant, fluida exagitant, et animum ex improviſo percellunt. Utilia vero ſunt ea, quae hominem leniter exercent, viſcera confirmant et expediunt, animumque modice excitant.

Corpus commodiſſime exercet geſtatio, quae pro cujuſque viribus et delectatione variari, intendi, et leniri debet. Animum interim grata imaginum viciſſitudine morari ſummam habet utilitatem. Quod ſi melancholico auctor eſſe poſſis, ut ſe re aliqua jucunda occupari, vel etiam negotiis diſtineri patiatur, haud parum profeceris; nam triſtes cogitationes vel in breve tempus arcuiſſe, aliquid ſemper a mali conſuetudine detrahit. Curioſe autem cavendum eſt, ut hujuſmodi aegri perraro ſint ſoli, vel nihil agentes. Secundum quod, ut nunquam cum iis verſentur, quos contemnunt aut negligunt.

Melancholicos ſaepe exercet praecordiorum gravitas et anxietas, quae nonnunquam dolore evadit intolerabilior. Ad haec levanda conferre ſolet, ſi omnia quae concoctioni inſerviunt viſcera rite expediantur: Et cum ventriculus ſaepe humore gravetur, et hoc aliqua ex parte in cauſa eſſe poſſit, ut difficilius trahatur ſpiritus, adſitque vel ſaltem ingraveſcat iſta quam conqueruntur anxietas; cum haec ita ſint, inquam, leni ſubinde vomitorio opus erit, ut ab omni inutili onere ventriculus

levetur.

levetur. Raro autem hoc fieri debere vel ipſe commonet Celſus, 'Neminemque qui valere et ſeneſcere 'volet hoc quotidianum habiturum.' Et niſi ſi quando pituita in ſtomacho coeat, crebriorem vomitionem defugere vellem, ne in eam debilitatem recidat aeger, ad quam major animi moeror accedere ſolet.

Cum alvus plerumque ſit juſto adſtrictior, ejuſmodi dandus eſt cibus, qui ventrem mollem praeſtet, et, quoad ejus fieri poſſit, qui ſimul alat et ventriculo ſit aptiſſimus: Nam hic cruditas et flatus interdum exhibent moleſtiam. Viſcera autem confirmanda ſunt, per ea medicamenta, per quae debilitati poſſe ſuccurri ſupra propoſitum eſt. Hic vinum prodeſt, cum ſit omnium remediorum quae roborantia vocantur efficaciſſimum. In vino autem parcius et ſemper citra ebrietatem indulgendum. Neque, ſi a liberiore ejus uſu, pauliſper exhilaretur mens, ſtatim exiſtimari oportet, id ex commodo aegri eſſe; e veſtigio enim retro in triſtitiam revolvitur. Scilicet, non hic oportet exquiri unde effuſa laetitia arceſſatur, ſed cogitationum requies; id melancholico conciliandum eſt. Mens vehementer permota, in moerorem quaſi ruina recidit, vel ipſo furore periclitatur. Et cum hilaritatem vinolentia paratam excipit animus ſemper demiſſior, et cum inde etiam homines in rabiem acti fuerunt, cura medici eſſe debet, ut largior vini uſus circumcidatur. Idem forſan de iis ſtatuendum putes, quae ex opio habent levandi vim. Nam hoc medicamentum et ventriculum laedit, et quamvis quietem in tempus pariat, nunquam non efficit, ut ae-

gris

gris poſtea triſtitia increſcat. Id autem conſuerunt flagitare, et remedio, unde aliquoties experti ſunt lenimen, minime adducuntur ut poſtmodo careant. Opii vero ſolita quantitas adſuetos minus adficit, et deinceps neceſſe erit, illud non modo repeti, ſed etiam largius dari, ut quam conſequi velis, pariatur quies. Quaedam proſtant funeſta exempla, ubi, ex opio in tempus adhibito, dein intermiſſo, adeo intolerabilis moeror hominibus incubuit, ut, vitam pertaeſi, mortem ſibi conſciverint. Quae cum ita ſint, quis non videt, uſum opii in hoc adfectu multo majora ſecum trahere damna ac homini adferre commoda?

Haec autem omnia, aliorum motus auctoritate, ita moneo, ut tamen fatear, caſus nonnunquam incidere in quibus hoc remedium res ipſa flagitare videtur, et in quibus recte adhibetur. Si quando ad ſummas anxietates accedat perpetua vigilandi neceſſitas; ſi tumultuoſior fiat mens; promptiorque in iracundiam; ſi alia denique adſint unde ſuſpiceris in eo loco jam rem eſſe ut triſtis evadat furibundus. Ubicunque horum aliquid intercedit, tum demum commonent medici ad opii uſum confugere oportere; rati, nimirum, hic ante omnia quietem arceſſendam eſſe, quae niſi opio adhibito vix poſſit contingere menti moleſtiis laceſſitae, nec aliter furoris qui impendet periculum averti.

Porro, ad ſomnum conciliandum nonnihil facere conſuevit, aliquis uniuſmodi ſonus leniter fluens, qualis aquae murmur juxta cadentis, aut legentis vox eodem tenore in longum continuata, praeſertim ſi ad haec inſuper

ſuper accedant lenis lecti agitatio vel ſellae ſuſpenſae motus.

Adverſus ſolidarum partium rigiditatem adjuvare ſolet balneum tepidum, quod ſummam cutem, et quae huic proxime ſubjacent, emollit.

Inter adfectus qui in melancholici animo oboriuntur, et res quibuſcum quotidie verſatur, quaedam intercedit cognatio conjunctiſſima, ita ut conſuetorum conſpectus priſtinos motus et cogitationes excitet, novetque: Et ſic morbus inſidendo inveteraſcit, vix in curriculo quotidiano quieturus. Parum enim valebit medicina, dum aegro ante oculos obverſantur, quae malum in horas revocant ſuſtinentque. Ubi ſic ſe res habet, conſueta relinquere neceſſe habeo, et quietem quaerere in longinquo loco; et potiſſimum videtur et mos eſt, iter ſuadere faciundum in ea loca, quo homines, propter aquarum coelique ſalubritatem, ſaepiſſime commeant viribus refovendis; neque aliud novi morbo jam inclinato accommodatius, quam hanc communem medicorum praeceptionem, cujus utilitas, quantum equidem intellexi, longe omni exceptione major eſt. Talis diverſandi ratio, et ſimul ſaluti corpori et animo levationi eſſe ſolet. Verumenimvero, quod ex coelo et aquarum uſu corpus in omnibus ſuis functionibus expediatur, levioris quidem hoc videtur momenti, ſi cum illo comparetur commodo, quod ex eodem fonte menti pariatur, cui in ipſo itinere paſſim obverſantur res novae, quae illam a cogitandi intentione ad tranquillitatem traducere valeant. Quo vero adjumento a ſeipſa ad res convertitur,

vertitur, id morbo maxime adverſarium; et quas res ad ſenſus percellendos adferre poteſt quilibet vitae mos, eas omnes egregie adfert commoratio in loco cujuſmodi mentionem feci. Ibi temporis plurimum in conviviis et feſtivitate; in hominum frequentia et conſuetudine tranſigitur; dum ludus, muſica, ſaltatio, aliaque id genus, horas ſubſecivas ſuaviter fallunt. Quotidiana vero aſſiduitas, ultro citroque habita, cum fructu exercebit valetudinarium, qui ex vario locorum et occupationum genere oblectamentum capiet minime contemnendum. Qua de re eo fuſius diſſerendum erat, propterea quod ex iis quae in curanda inſania feliciter eveniſſe perhibentur, longe utiliſſimam reperio coeli mutationem ad morbi reliquias ſuccidendas. Porro, ipſe dixit Celſus, eos quibus integra mens jam rediit, "annua "peregrinatione eſſe jactandos."

F I N I S.